CAELORVM POMPAE IN ASSVMPTAE DEIPARAE

TRIVMPHO

A R. P. D. Antonio Francisco Forte

Clerico Regul. Congregationis Somaschæ Sacerdote in Colleg. Clementino de Vrbe Eloquentiæ Professore,


ORATORIE, AC POETICE

EXPRESSAE;

ET INTER ANNIVERSARIA SOLEMNIA
Anni M.D.C.LXX. Diei XVI. Augusti
ibi celebrata.

Ab Adolescentibus Rhetoricæ Auditoribus
Voce, ac typis

PROPALATAE.





ROMÆ, Typis Ignatij de Lazaris. M.DC.LXX.
SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISS.MO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI X.

PONTIFICI OPT. MAX.

COLLEGII CLEMENTINI CONVICTORES.



HÆ ſydereæ triumphantis Eccleſiæ pompæ in feſtiuo Aſſumptæ Virginis triumpho non ſine iure ſublime tuum, B P, efflagitant patrocinium, qui ſumma populorum applaudentium lætitia, ac tui nominis gloria verus Atlas Militantem ſuſtines, ac tueris; qui domeſticis redimitus Stellis ad Pontificale aſſumptus es culmen, Romanumque Capitolium; qui ſublimem ſuper ſydera mentem extollis. In tantæ feſtiuitatis luce nimiùm elangueſcerent hebetata Clementini Collegij ſydera, ni ſex inter glorioſi tui ſtemmatis Planetas, qui ſeptimus, Sol ſcilicet omni virtutum ſplendore conſpicuus, effulges, beni-

gnam illis tuæ humanitatis lucem communicares. Hanc sibi certò spondent à DECIMO CLEMENTE, dùm ab Octauo fundamentum, à Nono augmentum humanissimè accepere. Prosequentur in CLEMENTIBVS sibi faustam experiri CLEMENTIAM, & noua luce ab ALTERIIS syderibus acquisita, duodecim syderibus emeritum ouanti Virgini sertum contexent in terris, vt olim Ioannes vidit in Cælis; ibique totidem triplici tuæ post longam annorum seriem tiaræ succedent.

ASSVM-

ASSVMPTÆ DEIPARÆ

Cæli enarrant gloriam. Psal. 18.

ORATIO.



T oualem Partheniæ Matris è terrestri peregrinatione cælestem in Patriam reditum festiuis annuntiarem acclamationibus, & maioribus, quantùm humana quirem ope, applausibus prosequerer hac in anniuersaria celebritate vestrûm, N N, panegyri adaucta selectus sum ephebus, & indisertus Orator. Nosco, adeò illustria, & præclara huius Solis [a] resurgentis facinora, & decora tenebris damnanda non esse taciturnitatis; Sed quomodò Clementina sydera, ne dùm hæsitantia Dicentis lumina tot iuxtà nitores opposita, non hebetata languescent? Nosco Dei Genitricem perenni, ne dùm annuo efferendam esse laudum tributo, quòd humanam naturam super Angelicam exaltauit; Sed quomodò in breuis orationis circulo illam gloriæ amplitudinem exprimam, quæ incompræhensibilis super humanum effertur, & extenditur ingenium? Ardua nimis est celsitudo per humilitatem [b] acquisita, dùm adstat [c] Regina à dextris Dei, & quamuis in vestitu deaurato, & circumdata varietate mortalium fugit sensum, nec intuitu corporeo, nec humano sermone potest circumscribi. Quin si regrederetur hæc Sunamitis, [d] vt illam intueremur; vel non introspiceremus, quia omnis [e] gloria eius ab intùs; vel suorum oculorum intuitu cor nostrum ad languo-

[a] *Cant.* 6.
[b] *Luc.* 1.
[c] *Psal.* 44
[d] *Cant.* 6.
[e] *Psal.* 44.

f Cant. 4. guorem f vsque dulcissimum vulneraret, & linguam nodo indissolubili deuinciret. At quid!
g ad Rom. 3. Oculus g non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, atque Gignenti, & præ omnibus diligenti. Vbi Arca hæc sacratissima non super
h 3.Reg.8. Cherubim h alas, sed Dilectum i suum innixa cæ-
i Cant. 8. leste ingressa est Templum, k nebula impleuit
k 3.Reg.8. domum Domini, totamque nobis triumphi pompam abscondit. Cæli tamen illam non cælant, & Pythagorico absque figmento, armonicis, ignitisque syderum linguis Rediuiuæ Virginis glo-
l Psal. 8. riam l enarrant, & opera manuum eius annunciat Firmamentum. Ad suauissimos igitur circumactorum Cælorum concentus, & ad Firmamenti sydera oculos, & aures erigite mecum gratulabundo; quòd in emerito Amphitheatro digna Mariæ factis erecta fuerint monumenta.
m Bal. 8. Nàm ità communne persoluemus officium, & super terram erit Mariæ gloria, m sicut eleuata est magnificentia sua super Cælos.

Emeritum quidem Capitolium, parque Amphitheatrum Cælum est trophæis tantæ Imperatricis de communium hostium caterua gloriosissimè triumphantis; quibus capiendis angusta nimium erat Area telluris. Apprimè, vt vatici-
n Cap. 6. natus est Esdra, *ante faciem Firmamenti libri aperiuntur*, & omnes multiformi vident imaginum varietate, sydereisque characteribus concinnatum, expressum, distinctum quicquid ad Reginæ nostræ attinet laudem, amorem, pulchritudinem, & venerationem. Primigena enim ipsa genitalis mundi hora, Cælorum orbes corruptionis nescios imperium venerabile Conditoris è nihili sterilescentis inanitate deduxit, vt eam, quæ ab

initio,

initio, o & ante sæcula creata eſt & vſq; ad futurum ſæculũ non deſinet indeficienti ſerto coronarent. Sphœricam illis impertitus eſt figuram nullius compaginis indigam, finem nullum, aut initium in ſuis partibus ſentientem, vt Mariæ corpus perfectiſſimum, corruptiuæque alterationis expers clariſſimè præſignarent. Magnitudinem illis quacumque terrea creatura; & mole maiorem conceſſit, vt Matrem demonſtrarent ſuam, quæ, vt ait Bernardus; *Omnibus firmamentis firmius Firmamentum, quem Cæli capere non poterant cepit, & concepit; portauit, & non defecit.* Armonicam, & aſſiduam illis præſcripſit vertiginem, vt perenni ſuauitate concentus annunciarent p iuſtitiam eius; & mirabilia q eius confiterentur. Virtutes illis præſidentes aſſignauit, quarum impulſu circumagerentur; Mariæ verò Virtutem r Altiſſimi, quæ illam obumbrans, ad illam impulit Creatorem. Nec mirùm, quià Virgo, vt Damaſcenus aſſeruit, *quæ Animatum Cælum erat, ſuper Cælos debuerat collocari, & in Cæleſtibus exprimi, ac exaltari.*

o Eccl. 24. p Pſal. 21. q Pſal. 88. r Luc. 1.

Cælum ideò varijs aureorum ſyderum figuris cælatum, & exornatum eſt luminaribus, quæ diei præeſſent, ſ & nocti, vt Virginis virtutes ſpectandas offerrent, illarumque teſtes t eſſent in Cælo fideles. Non poterant Cæli tanta in apotheoſi, & copia, & materie meliores exerere faces. Non poterant tantis in nuptijs Sponſæ Cæleſtis nobiliores accendere tædas. Non poterant tot, tantiſque in elogijs Mariæ deſcribendis digniores adhibere characteres; Nam ſydera (vt Græci teſtantur interpretes) pretioſiſſimo ex auro ſunt contexta; ſiuè (vt do-

ſ Gen. 1. t Pſal. 88.

cuit Plato) sunt lucis non intermoriturae incendia. Si verò alij mala esse aurea defendunt; Virgini sanè à summo Paride destinanda erant, quae speciosissima forma inter filias hominum effloruit.

Syderibus igitur septem, occasus inscijs Arcticum propè polum, & curulis sella illi concinnata fuit; vel quià summos triumphi honores gerens ad Empyrium stellato deuecta est curru; vel quià degentis apud mortales Altissimi nitidissimus extitit thronus; vel quià circa Deum veluti polum, Spiritus Sancti aura impellente, currus [a] ad instar ab Ezechiele inter captiuos
a 1. aspectati indesinenter se mouit.

Sed pluribus stellis exornata, & maiori splendore albescens sub oculos cadit via Galaxia; triumphalis symbolum callis, quem ad Promissionis patriam, & thalamum rectà perducentem haec Sponsa cucurrit! Proh quantùm lucida incesserit via, quae amicta [x] est lumine, sicut
x Psal. 103. vestimento; atque vt [z] candor lucis aeternae in-
z Sap. 7. gressa est sedem beatitatis! Proh quantùm exornata, & formosa fuerit, dùm exprimenda in ea erant illius vestigia, quae in admirationem rapere formositate potuerunt Sponsum ipsum di-
a Cant. 7. centem. *Quàm [a] pulchri gressus tui in calceamentis Filia Principis!*

Calceamentis enim subtexuit Lunam nitore adeò conspicuo plenam, vt spectatores omnes illius amore capti fierent absque somnijs Endymiones. Lunamque [b] sub pedibus ad illam, quis
b Apoc. 12. ibit inficias, spectare, vt auito de Regum sanguine prognatam; cùm nobilitatis in signum eiusdem gestandae inoleuerit consuetudo veteres omnes apud Quirites? Nec vllus obijciat,

Pla-

Planetam iſtum terreis vndique defæcatum ſordibus;quas,(teſte c Seneca) humore cùm terreo eius alimento exhaurit, à Virgine conculcandum fuiſſe, vt potè abſolutiſſimæ tota candore innocentiæ,quam nulla labecula decolorat. Speculum enim eſt Luna, vt Philoſophorum anteſignanus Pythagoras aſſerit, quod Virginale decus ad viuum reflectit. Et quidem Lunam à Virgine nulla diſcretione ſecerno; ni quòd illa variatis vicibus creſcit, & decreſcit, hæc ſemper eſt incrementum gratiarum; Illa ſoror eſt Solis, hæc eiuſdem, quamuis Virgo, fæcundiſſima Parens.

c. q. nat. l. 2. c. 5.

Sol ideò ſtellati ærarij theſaurus, ſyderum dotale patrimonium, totiuſque naturæ ambitio, & vitalis origo in cælis emicat ad huius partus authoramentum. Perſpicacioris tamen ingenij non interpello auctores, qui Virginei eſſe monitum paludamenti teſtantur; nam d Sole amicta in eo felicitatis theatro Ioannis obtutui occurrit. Et ſanè circumdanda erat Sole, quæ Solem Iuſtitiæ circumdedit; atque in Sole collocanda ea, inqua,velut in Sole,Deus e poſuit tabernaculum ſuum. Neque ijs refragor, qui Mariam exprimi crediderunt; Nàm ſicut Sol vniuerſa Cæli lumina prærogatiua ſuperat claritatis; ità Diuipara rationales creaturas ſplendore virtutis, ac ſcientiæ præcellit. Gyrum f enim Cæli, vt cecinit,circuiuit ſola, ibique mentis acie perſpicaciſſima, & excellentiſſima rerum omnium comprehenſione abdita penetrauit arcana naturæ, & quicquid in Cælorum ſublimitate celatur inexploratum, & inexplicabile.

d Apoc. 12

e Pſal. 18.

f Eccl. 24.

Eodem vtinam modo ipſe contemplari poſſem reliqua huius triumphalis apparatus ſyderea

 ſimu-

ſimulacra, vt melioribus ea coloribus vobis delinearem. Suſcepta enim Prouincia infiniti eſt operis, vt Ariadneæ coronæ indicat circulus,
z Apoc. 12. illius nota, qui duodenis z compactus ſyderibus
b Cant. 4. Virginis ad illectamentum Sponſi de b Libano progredientis tempora circinnauit: qui figura-
i Esth. 2. tam i Eſther, vt ſuper omnes mulieres gratam exornauit. Sed quid aſſeris, arguit Bernardus? *Non ſtellæ caput Virginis ornant, ſed potiùs ornantur ab ea; dùm enim eius contingunt tempora, nouam conſequuntur dignitatem.* Itaque & coma ſtellata, Berenicea dicta, leuiter tantùm adumbrabit Virginis crines luce pluſquàm Phæbea radiantes, & multiplici Latinarum mulierum capillitio præclariores; dùm ex illis vnus amabiliter ſuper collum defluens vulnificum amoris
k Cant. 4. iaculum in ſponſi k cor valuit euibrare.

Ideò ne ſagitta inter ſigna ſyderea radianti adeò lumine conſpicua coruſcat? An quià for-
l Prou. 31 titudo, l & decor eſt indumentum eius? An quia
m Luc. 2. in luctuoſa Filij cataſtrophe illius m cor pertranſiuit, ſeù potius vitali, non lethali vulnere morituram Virginem confecit, à Morte quamuis eiaculata? An quià Diuipara ocior teló ſcopum illum ferit beatitatis, in quem eius vota indeficienter collinearunt? An quià, vetuſtatis de more ſagittarum corona redimita
n 1. Reg. 2. conſcendit? An quià Fortium n arcus hac ab intemerata Virgine ſuperatus cùm ſit, & ſagit-
o Pſal. 90 ta o in die volans contuſa in victoriæ monumentum ſcintillat? Ità prorsùs; Et quià hæreſes ſola interemit, infernalis turmæ temeritatem eliſit, atque non Apollo fictitius, ſed electa verè,
p Cant. 6. vt p Sol, tenarij Pithonis inſolentem audaciam fregit, conatus improbos deturbauit, virulenta

viſce-

viſcera cruentauit; Vnde *Spiritus* [q] *eius hoc tropheo ornauit cælos* (vt cùm Patientiſſimo loquar), *& obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus, qui ad perenne tanti* facinoris monumentum inter alia ſigna coruſcat. q *Iob.* 26.

Sed quis numerabit [r] multitudinē ſtellarum, & omnibus eis nomina vocabit, è quibus poſſunt Mariæ dotes præclariſſimæ coniectari? Hic propè colubrum receptum [ſ] eſt vas in Cælo, vt eam vas indicet electionis. Illic lucidiſſimus emicat Fons radiorum progreſſu mirificè amplificatus, vt Mariam exprimat Fontem [t] hortorum ſignatum, & aquæ [u] ſalientis in vitam æternam, cuius hodiè impetus [x] lætificat Ciuitatem Dei. Hic volucrum Regina fulgurat; Nàm Mariæ datæ [z] ſunt alæ Aquilæ magnæ, vt earum librata niſu citior Iuſtitiæ ſolem reuiſeret. Illic Cycnus effulget. Nàm Mariæ obitus gaudio fuit plenus, & ſuauitate, cùm vox [a] eius dulcis auribus ſonuerit ſponſi, vt iam concupiſcenti animo efflagitarat. Quid plura? r *Gen.* 3. ſ *Act. Ap.* 10. 16. t *Cant.* 4. u *Ioan.* 4. x *Pſal.* 45 z *Apoc.* 2. a *Cant.* 2.

Omnes operuit [b] Cælos gloria tua, triumphans Imperatrix, & dùm ſena DECIMI CLEMENTIS ſydera tibi præclariſſimum effingunt ſertum, laude tua iam plena eſt terra, quæ rapta extra ſe mente, haud lingua emblematica tot tui trophæa percurrit. Te iuuet, vt imposterùm eorum ſequentes ductum ſempiternæ felicitatis domicilium tecum petamus; Nàm & nos ijs addita ſydera, ibi perennem ad tui gloriam effulgebimus. Plaudite; hoc ſpondet ex tali aſtrorum compoſitione, & aſpectu deductum apoteleſma. Dicebam. b *Pſal.*

CAR-

CARMEN.

SYdereæ pompas Arcis, monumenta decoris,
Et ſuperæ nixus adamantina ſigna Parentis,
Grata Viris ſpectacula, formidata Profundo,
Thermoodontiacæ quæ non retulere phalanges
Innumeræ, haud æquat Rhodienſe Coloſsus in ora,
Seù Capitolini reſidens in culmine Templi,
Pyramis aut ſplendens crebris Memphitica gemmis,
Nullaque Cæſareæ ſolemnia prodiga pompæ,
Ergò rapis totos æſtrum nunc dicere ſenſus?
Quis ne triumphales altæ Thaumantidis arcus
Verſicoloratos, ſtellantes atque curules,
Ornamenta rotæ phæbeia, lacte notatos
Calles, quos ſuperant vincti temone iugales
Bellerophonteas æquantes curſibus alas,
Etſi frœnet Amor varijs Auriga lupatis;
Schemata, ſydereaſque notas, ſuperùmque coronam:
Quis ne tuos acie, Virgo, conſtante valeret
Cernere fulgores; quòd inexorabile pacto
Noſtra beatificæ declinant lumina ſedes?
Caſtalio mentem tollas ſuper aſtra cothurno
Indignantem humili tectam procedere ſocco
Vranie; tanti pandas arcana triumphi,
Viribus humanis aptos expone nitores,
Vt valeam faſtus oculatus dicere teſtis.
Longa retrò ſeries rerum, quas Filia lucis,
Cælorum Regina potens, terræque iacentis
Alma Gubernatrix, Mater labentis & æui
In ſe præuidit Sapientia prouida Noſtri
Ante tenebroſi primordia turbida Mundi,
Naturæ Chaos, indiſtinctas atque Chimæras.
Vidit fœmineo damnandas crimine Gentes
Carceribus Phlegetonteis; ac Virgine Cælo

Reſti-

Restitui patrio, Iesse quæ celsa propago,
Impuri tactus, hymeneæ & nescia labis
Sponsa, Parensque sui foret, etsi Numine nata;
Quæ victrix Acheronteum pede sola Draconem
Contereret, stygias debellaretque phalanges.
Ergò, inquit, meritum iusta quæ lance rependo,
Non mihi Tartareis Virgo decorata trophæis
Est super æthereas nulla ducenda curules
Emerita pompa? Nequaquàm. A fluctibus ignem,
Aera ab igne, solum limphis, à fontibus æquor,
Flumine torrentem, terris terram, aera vento,
A tenebris lucem, phæbeum à luce calorem,
A flammis flammas distinguens, omnia Cæli
Conuexu circumscribam, quod sydera, Phæbus,
Artifices radij, splendescentesque pyropi,
Et vario simulacra ferentia lumina vultu,
Stemmata millenis interlucentia stellis
Ornabunt, reddentque meæ per sæcula Matris
Nomen perpetuum, & toti venerabile Mundo,
Dùm amphitheatralem spectabit in æthere pompam,
Quæ micet æternos inter præstantior ignes,
Sentiat haud hyemes, rabiemque volubilis æui.
Dixerat, & Phaetonteas iam lumine flammas
Innocuo Cælum pandebat, signa triumphi,
Indefecturas thalami tædasque pudici.
Non oculos, & opes picta Iunonius ales
Explicat in cauda, totidem seù turgidus orbes
Componit, totidem flores non educat AEtna,
Collis & Hyblæus succosas exerit herbas,
Nec pelagi littus totidem demonstrat arenas,
Quot monumenta, notæque micant, præconia Diuæ.
Hic micat Arctoo primùm sub cardine currus
Parrhasius scythico nequiens se mergere ponto,
Numinis obijciens Mariam sedem esse curulem.
Illic lacte nitens millenis sternitur astris

Semi-

Semita, quam meritò percurreret illa decore,
Dùm peteret Superos, decretaque tecta Tonantis.
Hic Dictynna ferens fraternos orbe nitores,
Vt duo submittat famulantia Cornua plantis
Virginis, antiquamque probet de more Quiritum
Nobilitatem. Illic lucis Pater, vt rediuiuæ
Matris membra coruscanti præcingat amictu,
Internosque animi fulgores exprimat orbi.
Hic bissena suæ concinnant sydera sertum
Reginæ, rediuntque sacros iam lumine crines.
Illic Cycnus adest moribundo gutture fundens
Dulce melos; Etenim grati suspiria Amoris
Emittens animam cupidis ea reddidit astris.
Hic auium Regina volans; nàm detulit alas 2. Apoc. 2.
Illius, vt rectà peteret velocior astra.
Illic innumeri tundentes lumina luce
Arcus, inscripti numeroso emblemate laudis.
Et tandem, vt speculum candore notabile Cælum,
Fert variam rerum seriem, nostrisque figuras
Pandit inaccessas oculis, quæ fingere lusus,
Et Choreas, grataque perennant psallere voce.
Ergò quid referam? meliùs taceam Astra loquuntur
Ignitis linguis spectacula tanta triumphi.


Canebam.



EM-


ARIES I.

NE monumenta ferant vigilantum ſomnia Vatum
Vellere de fuluo, quod micat igne poli.
Non Athamanteas ditauit pondere gazas,
AEctæ pretio haud Colchica regna ſuo.
Helleſpontiacas nunquàm pertranſijt vndas,
Aut AEeteis victima Cæſa Dijs.
Hoc *vellus* præfert Mariæ, quod *roris ad inſtar.* *Pſal.72.*
Intumefecit idem Numen ab axe cadens;
Quodque beatificis ſacratum ſæpiùs aris
Inſeritur Cælo, vt Victima grata Deo.



TAVRVS II.

ERgò Tonans Europæo gauiſus amore
Impuri facti dat monumenta Polo?
Hæc deliramenta procul, procul eſte Profani;
Sydereis noſco facta pudica notis.
Taurus hic in Mariam Verbi portendit amorem
Enati, Tauro diminuente gelu.
Et memorat ſanè Genitricis ad æthera Raptus,
Cornu & Amaltheæ, quod regit illa Viris.



GE-

DEsine Taygeti natos sub vertice montis
  Credere Tyndaridas sydera facta duo.
Euehit ad cælos nec inexpugnabile robur,
  Indomitique recens nec moderamen equi;
Fictaue fraternæ concessa redemptio mortis,
  Ast ergà superos inuariatus amor.
Mutuus hic Christi dilectæ siue Parentis *Cant. 1.*
  Sedem promeruit, vel simulacra Poli
Hæc mundi niteant agitato fluctibus astra,
  Curis nàm pulsis tempora læta ferent.




LEO IV.

QVO nàm iure putas Nemei simulacra Leonis
  Herculea perijt qui furiale manu?
Roboris hoc clarum Mariani nosce trophæum,
  Quod meritò radiat sydere multiplici.
Nàm Leo Dauidicus iustas effusus in iras
  Hac media vitam pertulit, atque necem.




NON hæc Virgo ſolum declinans, accola Cæli,
Auroræ partus, Iuſtitiæque Dea.
Quæ ne deijcerent coniurati axe Tonantem
Fratres, conſtructum prouida vertit opus;
Vnde coruſcantes meruit contexere ſtellas
Veſtibus, illuſtris Solis & eſſe Domus.
Virginis at Ieſſe fulget venerabile ſignum,
Iuſtitiæ Solem quam coluiſſe patet.
AEthere quin forma Numen detraxit inerme,
Vt terrà genitis traderet aſtra Viris.



LIBRA VI.

ANnificos inter rutilans reſplenduit ignes
AEquę ſignum cui clara figura Libræ.
Non vt temporibus proponeret æqua diurnis
Nocturna, æſtiuos diminuendo dies;
At ferret Mariam Mortalibus addere lucem,
Et ſtygias tenebras extenuare Soli;
Immò beatifici fundentem lumina Solis
Mentibus æthereis æquiparare Viros.




SAGITTARIVS VII.

INter Cælorum pompas per inane micantes
Syderea effigies Arcitenentis adeſt.
Atnon AEmonio vibrantem ſpicula neruo
Thæſlaliæ geminum denotat illa Senem.
Matronis ſed Amazonijs, Latijſque Mariam
Crine magis gnauam tela vibrare ſua.
Non etenim multis iaculatur tela Capillis,
Aſt vno Sponſi pectora Crine ferit. *Cant. 4.*



ARIADNAEA CORONA VIII.


ORbe triumphato ſcandat Capitolia Cæli
Pes Mariæ, ornetur ſyderibuſque Caput.
En ſtellis diſtincta micantibus axe corona,
Quam ſumpſit Bromio Creſſa puella Deo.
Vt labyrintheis eduxit Theſea clauſtris,
Ac Minotauro dilacerante homines.
Dùm Virgo ſtygij deludis Monſtra barathri,
Pendet & à te ceù ſtamine vita Virùm;
Digniùs æthereo redimuntur tempora ſerto;
Quin eſſet totus iuſta Corona Polus.



DRA-

DRACO IX.


HVnc alij vigilem confirment eſſe Draconem
Herculeo ſtratum robore in Hexperia .
Seù quem Terrigenæ pugnanti offerre Mineruæ
Sunt auſi criſtis, oreque terrificum.
Somnia cognoſco Vatum fallacia; vera
Dicta perennibus hæc ſint memoranda libris:
Palladis hoc noſtræ ſcintillat in axe trophæum,
Contriuit ſtygiam nàm pede Virgo feram.
Siue triumphanti ſtellatus Iaſpis, & Aſpis,
Vt Pharijs Ducibus nunc diadema ſtruit.



CYCNVS X.

HIC niue candidior, phæbeo lumine plenus
Anſer Amycleus non ſacer eſt Veneri,
Sed Mariæ; triſti ſi hilaratur funere Cycnus,
Et moribundo dat gutture dulce melos.
Mater oloriferum Chriſti fert corde nitorem
Vitali letho lætior eſtque ſuo.






Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patr. Mag. Sac. Pal. Apost.

I. de Angelis Arch. Vrb. Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacr. Pal. Apost. Mag.

